

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-quintâ, Januarii, anno Domini M. DCC. XLII.

M. HENRICO-FRANCISCO BOURDELIN, Scholarum Professore, Doctore Medico, Præside.

An in pectoris Hydrope, quò maturior, eò felicior Thoracis Paracentesis?

I.



YDROPS, nemini non notum morbi genus, pro variis quas infestat corporis partibus, varia sortitur nomina, sic ascites, leucophlegmatia, hydrocele, hydrocephalus nuncupatur, prout vel abdominis cavum, vel substratas cuti membranæque adiposæ cellulas, aut testium involucra, membranasve cerebri, ipsiusque molem alluit. Reliquis autem in locis, quos à sua illuvie non finit immunes, partis aut visceris affecti nomen sibi vindicat. Hinc uteri, ovarii, pectoris hydrops appellatur. Ubicumque sibi sedem elegerit propria iis partibus, quarum lædit functiones, mala secum accersit. At tristio-

re formidandâque magis ſymptomatum catervâ ſtipatus ægrum non aliàs adoritur, quam dum, in alterutuum aut utrumque pectoris cavum diffuſus, vitalem hanc arcem peſſimâ ſuâ diluvie occupat. Ex eodem, unde reliqui manant hydropes, primario fonte derivatur hydrops pectoris. Hunc nimirum gignit aut acrimoniâ, aut ſpiſſiore craſi peccans cruor. Ex illius enim ita vitioſi ſanguinis gremio ſeparatam, & thoracis pulmonumque membranas perreptantibus vaſis lymphaticis educendam, ſeri portionem pari labe infici debere palam eſt. Ab hoc igitur humore vel eroſa, vel juſto plus dilatata rimas ducere ſummè tenuia hæc vaſcula, proindeque ſerum, qua data porta, effugium moliri, ploratu aſſiduo in thoracis cavum ſtillare, ibi ſtagnare negato exitu & coacervari neceſſum eſt. At non ſoli ſanguinis perverſæ diatheſi ſuam ſemper debet originem ille morbus : naturâ enim ſuâ debilior, aut à prægreſſis morbis labefactata pulmonis, plevræque & aliarum, quæ ſitæ ſunt in thorace, partium textura huic accerſendo ſuum ſæpiùs confert ſymbolum. Indè eſt, quod peripneumonias, pleuritides, Aſthmatis inſultus, graveſque & diuturnos pulmonum infarctus non rarò excipiat. Eos etiam plerumque ſolet ægros affligere, quorum hepar, aut lien, vel aliud in abdomine contentum viſcus pravè afficitur, & ſuam peragendæ chyloſi debitam non potis eſt operam commodare. Quam enim non ritè ſubacta ciborum maſſa in ſanguinis alveum refundit inſincera male elaborati chyli copia progeniem ſe deteriorem certo certiùs datura eſt, grave ſcilicet, lentum, acre ſerum, tenuiſſimos pulmonum reliquoſque thoracis lymphaticos canales impar præterlabi, par vitiare. Natum adoleſcentemque hunc morbum dubia, & quæ varios pulmonum affectus mentiantur, ſigna diſſimulant; adultum non obſcura quibuſque certò confidat Medicus, produnt ſymptomata; inveteraſcentem demum nulli ceſſura medicinæ, ſtipat malorum omnigenûm cohors. Huic invadenti fidas ſe addere comites, & cæterorum ſymptomatum agmen ducere ut plurimùm ſolent febris lenta, importunaque, & qua nihil expuitur, tuſſis. Cùm paulò magis incrementi cepit, & à collecto decidui jugiter ſeri imbre gravari incipit diaphragma, tum difficultas ſpirandi ſenſim obrepit, & aliquem in infima pectoris parte gravitatis ſenſum experitur æger. Ubi autem eò increvit colluvies, & ita exundat, ut paulò validiùs commoti ægrotantis lateri admotæ aures fluctuantis intus aquæ ſonitum percipiant : tunc quæ primò quaſi micare videbantur, & erant tolerabilia, jam exertis viribus, & adſcito aliorum denſiore ſatellitio, in ægri tormentum perniciemque mala deſæviunt. Tuſſis exaſperatur & increbreſcit; graviori pondere diaphragma comprimitur; tenditur velut cingulo conſtricta, doletque ima thoracis regio; operoſior fit reſpiratio, in unum duntaxat latus, imò nonnunquam in neutrum recumbere, nec etiam ſupinus jacere poteſt ægrotans, quin violentâ tuſſi ſubitò correptus & anhelans hunc ſitum protinus immutare cogatur. Nec ipſi fas impune alimentis famem ſedare; ingeſtos enim cibos cominus ſequuntur exacerbata tuſſis, præpeditaque magis], & qualis aſthmaticos vexare ſolet *convulſiva* reſpiratio : vibrare cor languidum crebrò intermittit, crebrò palpitans validiores ictus ingeminat. Optatiſſimum illud ſomni tempus, quo ægrotantes reliqui ſuas lenire ſolent ærumnas, hunc ægrum ullo nedum ſoletur levamine, novis è contrà premit anguſtiis : vix enim primus irrepit ſopor, cum ſtatim, veluti conſtricto pectore, præcluſiſque faucibus, tantùm non ſuffocatus excitatur, totuſque prætrepidat, & quaſi ipſiſſimæ morti ereptus perhorreſcit. Hinc complures hoc mor-

bo detentos ea nonnunquam invadit ſomni formido, ut perennibus malint ſe torquere vigiliis, quàm terrificæ quieti vel minimùm indulgere. His miſeriis aliquando breves concedit inducias, mentitaque fugam infida lues, inani recuperatæ ſanitatis larvâ male credulum ægrotantem deludit, cum videlicet membranarum thoracem inveſtientium laxatis ſejunctiſque fibris, occultum iter ſibi molita, verſus inferas corporis partes prolabitur: tum ſemoto aquæ circumprementis obice, pulmones expediti, intromittendo aëri pleniùs expanduntur; ſuo levatum onere diaphrama priſtini ſui juris fit, & redintegratæ contractionis compos: hinc ſpirans liberiùs, res ſuas æger in vado eſſe autumat. At doloſam pacem clam recrudeſcens morbi ſævitia citò interturbat. Qui enim è pectore devius, & per cœca membranarum interſtitia in artus inferiores illabens, aliquandiu ſe ſurripuerat, exorto in tarſis malleoliſque tumore ædematoſo, quam ad tempus celaverat, præſentiæ ſuæ certas nimiùm dat notas: ibi à deſtillante jugiter novo humore cumulatus, continerique aut ultra progredi impotens, univerſas quæ pectori ſubjacent partes novo inundat diluvio. Sic unà conjuratis anaſarcâ, hydrocele & aſcite ferocior relictam ſtationem ſuam hydrops rurſum occupat. Quæ mitigari ſymptomata ſopirique quodammodo viſa fuerant, jam denuo infenſiùs debacchantur. Tum æger cruorem nonnunquam exſpuens, frequentibus, anticipatoſque lethi horrores ingeminantibus, animi deliquiis penè confectus, ſublimi crebroque anhelitu ſpiritum acervatim trahens, negatam ſibi aëris uſuram miſerabiliter ingemiſcit, nullâque ferendam arte, tum ab aſſidentibus tum ab ipſo Medicò opem incaſſum exorans, fato ut plurimùm inopinato, derepente ſuffocatus, concedit. In alterutro aut utroque pectoris cavo collectus humor hæc tot dira tamque exitialia ſymptomata parit, quibus obviam ire quiſquis meditatur, in id totus incumbat, ut eorum fomitem citò eliminet, congeſtum nempe ſerum è pectore, quantùm fieri poteſt, maturè educat.

I I.

PLURIMA pervicacis illius morbi mox recenſita ſymptomata ſigillatim quiſquis perpenderit, nullum ab humoris intra pectus ſtagnantis præſentiâ & vitio non proficiſci comperiet. Nihil enim aliud ſiccam, quæ perpetuò ægrotantem inquietat, tuſſim acceſſit, quam congeſti, nervoſam pulmonum membranam vellicantis, atque in ſpaſmum cientis ſeri acrimonia. Indivulſam morbi ſociam, & ægrum tabe lentâ conficientem febrim fovet alitque idem ſerum: hujus ſcilicet circumfluâ illuvie molleſcunt pulmonum vaſa & enervantur; inhabilia igitur fiunt, quæ reducem è venis cruorem, cruorique admiſcendos chyli globulos, & in ejus naturam immutandos verſare, terere, dividere, pulmonibus tandem imprimîs deſtinatum hæmatoſeos opus abſolvere valeant: hinc male ſubactus craſſiorque ſanguis tenuiſſimas extremarum arteriarum propagines libero & æquabili gradu permeare impotens, eas impedito, turbato, arietante, & eo qui febrim gignat motu penetret neceſſum eſt. Sic vitiatam hæmatoſim ab omoioſi non meliore excipi debere quis ambigit? Ergo prava effœti degeneriſque tum nervei, tum nutritii ſucci copia è ſanguine ſeparabitur. Defraudatis itaque ſuo nutrimento partibus, corpus univerſum invadet maraſmus. Inordinatè motis ſpiritibus animalibus, nuncque parum aut non omnino in cordis motores nervos illabentibus, cor vibrare ceſſabit, tuncque intermittet

pulsus, & ingruent *lipothymiæ*: Nunc iisdem quasi recollecto agmine, auctoque impetu, in eosdem nervos protrusis, cor crebriùs fortiùsque pulsabit, & æger de cordis palpitatione conqueretur. An aliud quidquam spirandi creat difficultatem, præter incumbentem diaphragmati, pulmonesque circumprementem humoris molem? Quanam de causa nunc in sinistrum, aut in dextrum latus recumbere tantummodo potest, nunc utriusque decubitus, atque etiam sitûs resupinati impatiens prorsus evadit ægrotans? An non multiplicem hunc situm ideo nequit tolerare, quod, ita reclinato pectore, prolabitur in mediastinum, ejusque & pulmonum nerveas fibras distendit, atque irritat ejusdem humoris pondus, prout alterutra aut utraque pectoris cavitas morbosâ laborat colluvie? Nonne ex eadem manat origine, imam circa thoracis regionem diffusæ, & ad superas abdominis partes nonnunquam extensæ, doloris non omnino expers, constrictionis sensus? Cur ab assumptis alimentis asthmatici insiliunt *paroxysmi*, nisi quia ventriculus à rarefactâ ciborum massâ in ampliorem diametrum exporrectus vicinum sibi diaphragma comprimit, illud versùs pulmones protrudit, sicque arctum jam nimis pulmonibus, arctius adhuc facit spatium thoracis? Hinc dum ab admisso parciùs aëre, minùs quàm par est, dilatantur cellulæ pulmonales, earum vasa arteriosa non satis etiam exporrigi, & in se invicem nimis complicata contortaque manere, atque idcircò cruori obices ponere oportet. Sanguis igitur per ea non lentiùs moveri, imò nec aliquas in iis moras nectere, coacervari, eorum diametros plus æquo ampliare, nervos distrahere, atque ad violentam contractionem sollicitare, asthmatis denique insultum non provocare nequit. Demum ut reliqua silentio prætermittamus symptomata, quorum aut remotam aut proximam causam ab eodem intra pectus exundante sero nemini non pronum est haurire; eorum triste pariter necessariumque corollarium, ægrotantis scilicet exitium, quivis sane fatebitur non aliunde acciri, quàm ab effuso, moràque putrescente serò, & eam nacto deleteriam indolem, quæ pulmonum compagem labefactet, horum substantiam sensim depascatur, vimque vivificam tabifico halitu plane pessumdet. Id suadet ratio, id autopsia evincit. In iis enim, quos pessimus ille hydrops extulit, corruptos, exesos gangrenaque infectos pulmones, multo, pluriumque librarum pondus æquanti & fœtido ichori innatare, cadaverum sectio non semel testata est. His ita in medium adductis, nullus profectò Medicus non debet exploratum habere, se inutilem in pectoris hydrope curando, illiusque proinde symptomatibus arcendis collocaturum operam, nisi teterrimo fonti, unde illa manant, quàm primùm exhauriendo allaboret. Cùm enim constet, quandiù causa viget tandiu & illius vigere effectum; hujus morbi sævitiam infringere & perdomare se posse non speret, nisi eum è munitissimo, unde tectus tutusque perpetuas vires colligit resarcitque, propugnaculo excutiat, citòque exterminet. Secus: quicumque, non foras eliminato morbi fomite, ad sola profliganda aut mitiganda symptomata nervos omnes contenderet, non minùs irrito insudaret labori, ac ille rudis colonus, qui nocivis plantis obsitum extricaturus agrum, non rescissis funditus & evulsis earum radicibus, summos tantum & prodeuntes è tellure caules falce demeteret. Quemadmodùm enim ferro intactæ stirpes in feraciorem earumdem herbarum segetem deinceps luxuriaturæ sunt: Sic solis oppugnatis symptomatibus, non expugnata eorum causa perpetuæ fœcunditatis ansam nanciscitur, æquè pravam, si non pejorem symptomatum sobolem paritura.

III.

CIRCA ſeligendam educendi, qui continetur in pectoris cavo, humoris genuinam methodum, non unanimis eſt Medicorum ſententia. Complures enim thoracis Paracenteſi aut forſitan ignoratâ, aut immeritò deſpectâ formidatâve, ſolis è Botanices & Pharmaciæ promptuario deſumptis medicaminibus aquam è pectore foras evocari debere contendunt, hocque ratiocinio ſuam ſtabiliunt opinionem. Omnes, inquiunt corporis membranæ tubulis non ſolum humores exhalantibus ſed etiam eoſdem reſorbentibus inſtructæ ſunt. Aliter, qui ex omnibus internis partibus continuò perſpirant vapores, nullibi non in corpore congregarentur, congregatique hydropicos tumores nullibi non neceſſariò crearent. Præterea in Aſcite, Anaſarcâ extra ſanguinis alveum devianti lymphatico vel ſeroſo humori, variè præſcriptis remediis, modò per urinas, modò per alvum, modò per inſenſilia cutis ſpiracula felicem exitum Medicina non ſemel recluſit. His rationum momentis nixi, & obtinendam illius morbi ſanationem in eo tantum ſtare atque conſiſtere rati, ut ſerum per hyantia diſruptorum tubulorum oſcula effluere deſinat, & illud, quod jam effluxit ſtagnatque, in reſorbentia vaſcula divertat, ab iiſque ebibatur & penitus exhauriatur, nihil non fauſti ſperare jubent à ſola eorum uſurpatione medicamentorum, quæ ſeroſos humores attenuare, dividere, per varia corporis emunctoria derivare, proindeque vaſa lymphatica exinanire valent: Hinc à temperatis variè, ſibi intermixtis, aut intercalatis purgantibus, diureticis, perſpirationem aliaſque excretiones cientibus remediis auſpicandam, eorumque unico uſu perducendam morbi curationem autumant. Reliqui ab his authoribus diſſentientes Medici, pauciores quidem, at ratiocinii authoritatis & experientiæ præſidio freti, in hoc morbo curando, vel efficaciſſima Medici votis raro eſſe reſponſura pharmaca pronunciant, niſi auxiliatricem manum admoverit Chirurgia, & primùm ſero reſtagnanti viam ferro molita, medicatricis exerendæ ſuæ virtutis locum planiorem pharmaciæ conceſſerit. Cum his ſentire, & ubi de pectoris hydrope certo conſtiterit, imperatâ thoracis paracenteſi, difficilis illius morbi curationem inchoare ne dubites, eam deinceps melioribus auſpiciis adhibiturus medicinam, quæ malam cruoris & ſeri indolem emendare, glandularum pulmonis tollere infarctus, dehiſcentibuſque vaſis lymphaticis ſuam cicatricem valeat obducere. Huic autem operationi exequendæ ſic ſe accingat Chirurgus. Sedente ægro, nudatumque dorſum luci obvertente, è latere affecto, quatuor à ſpina digitis, in eâ ſcilicet parte, ubi coſtæ magis extrorſum ſaliunt, inter quartam & quintam ſpuriarum coſtarum, initio calculi ab inferioribus ducto, ſectionis locum eligat. Hanc ut exequatur unum cutis incidendæ extremum à miniſtro prehendi & ſublevari jubeat, dum alterum ſiniſtrâ manu etiam prehendit, & ope ſcalpelli, quod dextrâ gerit, intermediam cutem & alia integumenta tranſverſim ſecat. Hæc, ubi ſecuit, relinquat ſui juris, ſcalpelloque altiùs immiſſo, muſculos intercoſtales, ipſamque demum pleuram incidat. Inter operandum illud præſertim caveat, ne arteriam in inferiore ſuperioris coſtæ labro ſitam vulneret. Iſtud autem periculi facile admodùm effugiet, ſi ſuum ita rexerit ſcalpellum, ut ejus rudis obtuſaque verſùs ſuperiorem, ſecans verò pars ad inferiorem coſtam divergat. Ubi inciſam plevram apertumque thoracis cavum exiliens humor arguet, hunc,

reclinato in latus ſectum ægro, totum & una vice effluere ſinat. Quo peracto, eâdem, quæ in impyemate ſolet adhiberi, methodo vulnus deligabit curabitque: nec dubitabit vel illico, vel interpoſito, quod ægri vires exigere videbuntur, temporis ſpatio, parem in latere oppoſito Chirurgiam celebrare, ſi pectoris utrumque cavum hydrops obtinuerit. Huic encheiriæ aliam recentiores nonnulli ſufficiendam volunt: ſcilicet ope inſtrumenti *Trocar* dicti, ſoliti ad peragendam abdmonis paracenteſim uſurpari, uno eodemque ictu, & exiguo ſponteque ſanabili vulnere cutem, muſculos intercoſtales, ipſamque plevram perforant: Hanc autem methodum, licet brevitate ſua majoreque facilitate palmam priori juxtà ſuos fautores præripiat, non ii tamen ſumus, qui ſuadere audeamus. Nos quippe morantur, hac operandi ratione, certò & cum ſummo ægrotantis diſcrimine vulnerandi pulmones, quos non ſauciare non poterit Chirurgus, præſertim ſi, quemadmodum haud ita infrequenter obſervatum eſt, cum plevrâ coaluerint.

I V.

AD ſanandum pectoris hydropem multiplici titulo commendanda venit ea, quam celebrandam præcipimus in thorace, Paracenteſis. Pro eâ ſtant, huicque adſtruendæ conſpirant authoritas & obſervatio. Hanc enim utilem & neceſſariam exiſtimaſſe Hippocratem abſque ullo controverſiæ metu promptum eſt deducere ex eo divini ſenis aphoriſmo, ubi, pectoris hydrope laborantium facta mentione, ſic effatur, *hos lateris ſectione curare oportet*: cujus dogmatis præſtantiam rara quidem, at non ideo minùs certa felixque aliquorum Medicorum praxis confirmavit. Quam autem authoritas & obſervatio adhibendam certatim probant pectoris Paracenteſim, hanc maturandam ratiocinium evincit. Illius enim maturatâ adminiſtratione morbum, aut aliquando penitus poſſe cicurari, aut ſaltem remediis obſequioſum magis, curarique dociliorem fieri debere, vel levi datâ attentione, quivis facilè intelliget: cùm è contra vel ſeriùs, vel non omnino hac inſtitutâ operatione, nullis, præſentiſſimorum licet, medicaminum viribus, niſi rariſſimè prodigioque ſimiliter eumdem hunc morbum auſcultare quotidiana commonſtret experientia. Hinc non tam præ innatâ ſibi pervicaciâ, quàm ob parciùs tardiùſve uſurpatum illud auxilii genus, adeo refractarium audire pectoris hydropem meritò quis fuerit ſuſpicatus. Porrò Chirurgicam hanc ſectionem nonnunquam adimplendæ utrique paginæ ſolam ſufficere ideo contendimus, quòd ſola effuſi humoris eductio illud præſtare valeat, ut glandularum infarcti tubuli reſerentur, diſruptaque vaſa occludantur; ubi nempe pauca tantùm, ut ſæpe contingere poſſe nemo negaverit, nec ita pridem dehiſcentia in thoracis cavitatem vaſa lymphatica ſerum tranſmiſere, parumque, & recenter inſpiſſatis humoribus, pulmonum aliarumque pectoris partium glandulæ infarciuntur. Quâ nimirum proportione per inflictum thoraci vulnus humor effluit, eâdem diaphragma moleſto pondere liberatum, quam dedidiciſſe videbatur, priſtinæ memor elaſticitatis, alternatos contractionum ſuarum motus redintegrat: pulmones æquiorem locum nacti, ab irrumpente plenius aere, in ampliora ſpatia expanduntur, ſuaſque cellulas magis exporrigunt; qui igitur in eas majore copiâ validioreque impetu prorumpit aër; iis intertexta vâſa, quæ prius in ſe invicem nimis erant implicita, jam evolvit, & ſecundùm rectiores lineas extendit, ea præterfluentem cruorem tundit, exagitat ſubigit, humorum denique tardo repentium gradu motum accelerat. Sic per totam

pulmonum compagem ſuo ſolidis reſtituto naturali tono, ſuâ fludis redditâ juſtâ craſi, recens nec adeo induratis, ſed paulò viſcidioribus, ſuccis obthurata glandularum cava expediri, ſeroſoque latici facilè pervia iterum fieri poſſe, nullus profectò inficias iverit. Proinde diſruptorum, jam nec intus ab infarciente, nec extus ab alluente enervanteque ſero diducta & emollita vaſorum lymphaticorum oſcula, ob innatam ſibi quantulamcumque vim contractilem corrugari, ad ſe invicem accedere, ſibi applicari, duraturamque cicatricem paulatim ducere poſſe, quis, niſi phiſicis in rebus hoſpes, non animadvertit. Fatemur quidem non ita ſæpè ægrum manere fortunatam adeo ſortem, ut peractam paracenteſim ſpontè ſequatur integra morbi ſanatio: At indè noſtræ ſententiæ detrahendum perperam cenſeres. Primùm enim illud emolumenti è noſtra methodo percipitur, quòd huic inſiſtentem medicum penes ſit præcavere, ne ſerum commorando putredinem, exitio pulmonibus futuram, contrahat. Hinc etſi morbum non ſanet, illius tamen ſanandi removet impedimenta. Inſuper quandiu congeſtum in pectore ſtagnabit ſerum, non modò incaſſum, ſed etiam cum certo & citiore damno ægrotantis omnigena, quæ alvum, urinas, ſudores & excretiones reliquas valent movere, medicamenta in uſum vocaveris: Horum ſiquidem hinc effectus pendent, quòd fluidorum augeant motum, ſolidorum vim ſyſtalticam intendant. Cum igitur mota quælibet corpora eò ferantur, ubi minorem ſuperandam habent reſiſtentiam: In debilia ex ſe, & circumfuſo, qui iis imbibitur, humore debiliora facta pulmonum vaſa confertim magis & violentiùs, quàm aliò, ſanguinem humoreſque ab his medicamentis in motum actos protrudi debere manifeſtum eſt. Unde obſtipata jam dehiſcentiaque, denſiùs obſtipatum, & in majores hiatus diductum iri vaſa lymphatica neceſſum eſt. Hæc autem incommoda cautus vitaveris. Si, prout innuimus, maturè depleto thorace, diſruptorum tubulorum coalitui obſtantes extrinſecus cauſas amoveris, ea deinde intus medicamenta admoturus, quæ impactos humores molliter ſolvere, ſenſim diluere, fluxiles demum reddere apta ſint. Poſtremò etiamſi morbum omnino non exturbaret, ſed huic mitigando, ægrotantiſque vitæ aliquandiu protrahendæ tantùm inſerviret, à nobis laudata, Paracenteſis, foret tamen, unde illius non procraſtinandæ authores meritò eſſemus.

V.

NON ſolius ſeri aut lymphatici humoris effuſio pectoris hydropem ſemper generat: chyloſum enim laticem è rupto ductu thoracico defluum, huic aliquando ortum dediſſe compertum eſt. Memoratis hujus morbi ſymptomatis illud etiam addideris, quod ſæpe non nihil *œdematosè* manus ex affecto latere tumeat, doleantque interdum, & paralyſi corripiantur brachium atque humerus. Præter pectoris hydropem propriè dictum, aliæ adhuc duæ nonnunquam occurrunt hydropis ſpecies, quæ eodem nomine ſolent deſignari. Harum altera inter utramque plevræ laminam, altera in ipſâ mediaſtini duplicaturâ gignitur. Utraque auxilio Chirurgiæ indiga, iiſdem fere ſignis dignoſcitur eademque acceſſit ſymptomata, ac Hydrops pectoris à nobis deſcriptus. Illud tamen ſibi peculiare vindicat, qui plevram obſidet, quod aliqualem lateris affecti dolorem levemque intumeſcentiam pariat, nullum autem ponderis diaphragma comprimentis coercentiſque ſenſum incutiat, nec in pedibus excitet tumorem œdematoſum. His vero notis hydropem mediaſtini dignoveris, quòd de moleſtâ adeo diaphragmatis gravitate non conqueratur æger, & pectore in anteriora re-

clinato minùs laboret. Priori hydropis ſpeciei juxta præſcriptam à nobis methodum ſecto, aut etiam ope inſtrumenti *trocar* dicti perforato thorace, medeberis; poſteriorem, nonniſi terebrato ſterno, inciſoque perioſteo, licebit ſanare. In curando pectoris hydrope eamdem Medicus regulam ſequatur, ac in aliis morbis, quibus profligandis, niſi conjunctas eorum cauſas primùm expugnaverit, antecedentes expugnare fruſtra meditabitur. Sic in ſanandis inſultibus epilepticis, quos vermes alicubi nidulantes creant, nihil proficiet, non deleto vermium ſeminio: ſic cruciatus immanes, quibus ægrum torquet calculus in veſica incluſus, eodem non excluſo, amoliri ullis quantumlibet pollentibus medicaminum viribus haud quaquam poterit: ſic denique non promotâ aut expectatâ dentium eruptione, multiformia hæc & peſſima ſymptomata, quibus pueros affligunt dentes erupturi, fugare nonniſi irrito conatu enitetur. Nobis incaſſum objiceres, purgantium & aliorum, quæ humores attenuare foraſque educere valent, medicaminum ope exinaniri canales lymphaticos, ſerum in thorace cumulatum per reſorbentes membranarum tubulos exſugi, proindeque morbum mitiore & incruento marte profligari. Ut enim hanc diluamus objectionem reſpondere nobis ſuffecerit, ægerrime raròque admodum, hac uſurpatâ methodo, diffuſi ſeri in ſuos canales regreſſum obtineri. Aliàs non ita foret immedicabilis, nec inter fere deſperatos morbos annumeranda hæc, de qua agitur, hydropis ſpecies. Quæ quidem ſeri è pectoris cavo evocandi, difficultas utrum ab occluſis, ipſâque morbi causâ vitiatis poris reſorbentibus oriatur, an ab aliis cauſis dependeat, mittimus inquirere. Præterea non ſolùm operoſiſſimam & fere ſemper irritam, ſed eam inſuper eſſe quæ noceat maximè & idcirco exulare debeat, hanc medendi rationem aſſerimus. Hac enim inſtitutâ ſanguis & humores fluidiore ſua parte orbantur, ſuo defraudantur balſamo, citaque ut plurimum phtiſis ingruit. Hinc vitatâ ſcyllâ incidit in charybdim, & mutatâ duntaxat exitii cauſâ, non minùs triſti, licet dilato parumper, naufragio perit ægrotans. Nec noſtram ullatenùs ſententiam infirmant, qui celebratam thoracis paracenteſim ſecuti ſunt complures funeſti eventus. Hos enim non accerſivit ipſa operatio, ſed operationis tardata nimis adminiſtratio fecit, ut anteverti non potuerint.

Ergo in Pectoris hydrope, quò maturior, eò felicior Thoracis Paracenteſis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël Joſephus Majault.	*M. Carolus Payen, Chirurgiæ gallico Idiomate Profeſſor.*	*M. Joannes Beſſe, dotariæ Hiſpaniarum Reginæ à conſiliis & Medicus Primarius.*
M. Antonius Ferrein, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Tuſſanus-Gilbertus Boulland.*	*M. Antonius de Juſſieu, Regi à Secretis, regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Pruſſiæ Socius, Botanices in Horto Regio Pariſienſi Profeſſor ac demonſtrator.*
M. Bartholomæus Murry, Chirurgiæ Profeſſor deſignatus.	*M. Gaſpardus Cochon du Puis, in arce maritimâ Rupifortenſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Regius.*	*M. Joannes Baptiſta Silva, Salubris conſilii Regii Socius, & Sereniſſimi Principis Condæi Medicus ordinarius.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-FRANCISCUS ISEZ, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1742.